

# EPISTULA LEONINA

## XCVII

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XCVI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**NONAGESIMAM SEPTIMAM (97) !**

## ARGUMENTA

- |                                                                                |         |
|--------------------------------------------------------------------------------|---------|
| 1. Robertus Harris auctor Trilogiae Ciceroniana a diurnario interrogatus ..... | p.06-14 |
| 2. Ecce libri Leonis Latini!.....                                              | p.15    |
| 3. Trilogiae Ciceronianae quaedam paginae priores Latinê redditae.....         | p.16-20 |
| 4. Echûs voces.....                                                            | p.21-24 |

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam nonagesimam septimam.*

*Anno proximo praeterito, die octavo mensis Octobris, tandem editus est ultimus tomus trilogiae<sup>\*</sup> Ciceroniana, quam conscripsit **Robertus Harris** (a. 1957 natus) auctor Britannus, qui romanis suis fabulis historicis in claritudinem pervenit. Omne trinum bonum – perfecta nunc est trilogia, quam omnibus amicis antiquitatis Romanae plurimum commendo.*

*In Latinum converti colloquium interrogatorium, quod bonus Robertus Ciceronianus habuit cum Thomâ Kielinger diurnario ephemeridis, quae inscribitur »Die Welt«. Praeterea in Latinum converti nonnullas paginas primi tomi trilogiae, qui inscribitur »Imperium«.*

**Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere !**

**Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Saturni, **19. m. Mart. a.2016**

---

\* cfr Liddell & Scott, Greek-English Lexicon, Oxonii 1968, p.1820, s.v. τριλογία, ἡ *trilogy, group of three dialogues*, Ar.Byz. ap. D.L. 3,61; *group of three tragedies*, Aristarch et Apollon. ap. Schol.Ar. Ra.1155. cfr Friderici Vateri De Aeschyli Persis commentatio, p.232 in: Archiv für Philologie und Pädagogik, tom.suppl. 9, Lipsiae a.1843: “Quod supra contendimus Persarum nomine totam **trilogiam** vel tetralogiam significatam esse ab Aristophane, id asserere licet etiam duobus testimoniiis grammaticorum antiquorum.”



Patrick Süskind  
*Fragrantia*



Hic liber habet 330 (trecentas triginta) paginas. Liber constat 42,90 € (quadraginta duobus euronibus nonaginta centiis) et directē per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriā, quae appellatur LEO LATINUS: [SPQR@LEOLATINUS.COM](mailto:SPQR@LEOLATINUS.COM)  
Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-34-0. TOLLE LEGE !




**NUNC TANDEM  
CRABATUS LATINUS  
ÉDITUS EST.  
TOLLE LEGE LAETARE !**



**LEO LATINUS**  
<http://www.leolatinus.de/>

Hic liber habet 363 paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 21 paginas. Liber constat 49,00 € et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-35-3. TOLLE LEGE !



**NESCIRE AUTEM  
QUID ANTEQUAM NATUS SIS ACCIDERIT,  
ID EST SEMPER ESSE PUERUM**

**CICERO**

**(106-43 a.Chr.n.)**

CICERO, Orator 34,120 Nescire autem quid ante quam natus sis acciderit, id est semper esse puerum. Quid enim est aetas hominis, nisi ea memoria rerum veterum cum superiorum aetate contexitur? Commemoratio autem antiquitatis exemplorumque prolatio summa cum delectatione et auctoritatem orationi adfert et fidem.

# **ROBERTUS HARRIS AUCTOR BRITANNUS**

## **TRILOGIAE CICERONIANAE INTERROGATUS**

d.12.m.Oct.a.2015

**"Caesar reverâ fuit hominum trucidator"**

Duodecim annis transactis ROBERTUS HARRIS libro, c.t. „DICTATOR“ conclusit trilogiam suam Ciceronianam. *Thomas Kielinger* cum *Roberto Harris* colloquitur de CICERONIS viri Romani pagani mente Christianâ praediti deque hodiernorum virorum politicorum inconstantia.



*Scripsit Thomas Kielinger ephemeridis „Die Welt“ relator in Regno Unito versans, in Latinum convertit Nicolaus Groß.*



**Robertus Harris: "Aetate quo sum proiectior, eo magis cupio scribere."**

*Tales sunt condiciones Londinenses: In exedrâ<sup>1</sup> devensorii Hiltoniani, quod situm est in tribu Paddingtonianâ, fieri non potest, ut quietê colloquamur. Ibidem enim strepitus*

---

<sup>1</sup> éxedra, -ae f. orig. Lounge. -

*fit continuus. Robertus Harris, hilaris, focali collarique decorē indutus istud patitur animo aequo. Aufugimus in deversoriī exedram lautam<sup>2</sup>. Quod pro eādem adhibendā pecunia solvenda est, etiam spectat ad mores Londinenses. Solvimus vicinas quinas Libras Britannicas. Robertus Harris in sessibulo consedit. Modo ingens opus perfecit: trilogiam Ciceronianam. Post "Imperium" (a.2006) et "Lustrum" (a.2009) hodie in lucem éditur "Dictator".*

**Die Welt:** *Edward Gibbon<sup>3</sup> cum finivisset opus suum classicum de ascensu casuque Imperii Romani scriptum, fecit haec ferē verba illustria: primo re perfectā animum suum esse relaxatum, deinde affectum esse quadam melancholiā, quod valedixisset comiti sibi familiari.*

**Robert Harris:** Meus quoque animus labore finito iisdem sensibus afficitur inter se adversis idque aequis partibus. Verisimile est non iterum fore, ut per tantum spatiū temporis – per duodecim annos, exceptis quibusdam rebus interpositis – studeam singulae materiae historicae pernoscendae. Gaudeo me hoc opus perfecisse, certē. Tamen etiam melancholiā quadam commoveor valedicendi.

**Die Welt:** Aetas, de qua scribis, testimonii optimē confirmata et infinites iam est tractata. Nullo modo intellego, quomodo de hac materiā quamvis notissimā tamen adhuc fabulae narrari possint, quibus lectores tam vehementer attrahantur.

**Harris:** Priusquam coepi scribere, per duos annos integros studueram huic materiae tractandae. Ceterum materiā tractandā magis magisque augetur confidentia facultatis propriae, discitur ars omittendi, oritur quidam rhythmus.

**Die Welt:** Tamen labores trilogiae Ciceronianae conscribendae saepe interrupisti. Post "Imperium" (a.2006) editum scripsisti fabulam criminalem contemporaneam, c.t. "Ghost" (a.2007), "Lustro" finito (a.2009) augures praedixerunt, si tardissimē, a.2011 editum iri tomum trilogiae finalem – at nequaquam: Primo edenda erat fabula, c.t. "Angor", fabula qua iterum tractatur thema contemporaneum, de decoctione mensarum argentiarum (a.2011), deinde "Insidiae" (a.2013), fabula quae spectat ad Casum Dreyfusianum. Animo toties averso quomodo fieri potuit, ut Ciceronem tractare non obliviscereris?

**Harris:** Forte fortuna factum est, ut alia themata emergent, quae occasione nactus non potui, quin tractarem. Post "Angorem" volui reverti ad Ciceronem, sed *Romanus Polanski* me ursit, ut scriberem de Casu Dreyfusiano.

**Die Welt:** Facile fuit eius rogationem recusare – 'ignosce, Romane, sed mihi scribendum est de Cicerone'.

**Harris:** At difficile est recusare rem, quam rogavit *Polanski!* Apparuit hoc fieri non posse, et praeterea iam rem primoribus labris cum noscerem, animus inflammatus erat. Libri, quos scripsi tomis Ciceronianis interiectos, fuerunt quadamtenus ambages.

---

<sup>2</sup> Éxedra lauta orig. *Executive Lounge*.

<sup>3</sup> Edward Gibbon (1734-1794), historicus Britannus illustrissimus. *The History of the Decline and the Fall of the Roman Empire*, Londinii, tom.1. a. 1776, tom. 2.-3. a.1781, tom.4.-6. a.1788.



**"Mors bona": Imago Ciceronis, quae invenitur Româ, in Museo della Civiltà**

**Die Welt:** Nonne his libris intericiendis animus tuus est perturbatus aut aversus?

**Harris:** Immo facta est res contraria. Auctor crevi, maturui, nunc decem annis aetate proiectior sum quam fui trilogiam incohans. Aetate auctâ Ciceronem melius intelligo, fortasse etiam, quia nunc 58 (duodesexaginta) annis natus appropinquo illi aetati, qua Cicero mortuus est.

**Die Welt:** Numquam videris expertus esse impedimenta scribendi.

**Harris:** Aegrê assecutus sum, ut scriberem fabulam meam alteram, c.t. „Enigma”. Deinde vénit mihi spatium temporis infertilius, antequam scripsi "Auroram". At aetate quo sum proiectior, eo magis cum cupiam scribere, velim scribere tot opera, quot spatio temporis relicto mihi continget, ut scribam. Ego quoque non verê felix sum nisi scribo. In hac re non distinguo materias historicas, qualis est haec trilogia aut Casus Dreyfusianus, ab argumentis, quae solâ mente sunt ficta. Utrumque genus materiarum habet difficultates suas proprias incommodaque. Reverâ haud minore labore artificiose res verê factae adhibentur ad fabulam romanicam scribendam quam fabulam scribere ex integro mente fictam.

**Die Welt:** Tibi de historicis rebus fabulas scribenti imminet integra phalanx peritorum, praesertim academicorum, qui te, si menda quaedam facis aut res exaggeras, severê vituperant.

**Harris:** Haec est una difficultas, altera est compositio fabulae scribendae. Lectores iustē exspectant fabulam quadam narratoriā certā dispositione scriptam. In trilogiā scribendā quem ordinem, quas partes vitae describam? Vita vera parum est ordinata, sed complexa; talis cum etiam sit vita Ciceronis, eadem praecipuē attractus sum. Cicero non sōlum est societatis Romanae "homo novus", idem est etiam „homo verus“, omnibus animi contrarietatibus praeditus.

**Die Welt:** Iam ipse Petrarca vitia Ciceronis vituperavit.

**Harris:** Ita. Petrarca publicavit epistulam verē accusatoriam in Ciceronem scriptam.

**Die Welt:** Immo *Theodor Mommsen*. Qui Ciceronem dixit esse nullius momenti.

**Harris:** Mommsen aetate suā famae Ciceronis valdē nocuit. At ego libris meis sententiam protuli anti-mommsenianam. Qui licet fuerit magnus historicus, tamen sequitur spiritum saeculi sui, praesertim *Friderici Nietzsche*: persuasum ei est venerandum esse imperatorem maximum, cuius exemplum optimum sit Gaius Iulius Caesar. At reverā Caesar fuit trucidator hominum, bella gerebat ratione „purgationis ethnicae“<sup>4</sup>, gallicarum quoque expugnationum. Quem describo virum callidum, interdum lepidum, sed potissimum Caesar mihi videtur esse animo morboso, nihil cupiens nisi potestatem atque expugnationes. Nos hodierni malumus fortunarum moderatorem humanum quam glorificatorem genocidi<sup>5</sup>.



**Robertus Harris**, a.1957 Nottinghamo in urbe natus, primo officio functus est diurnarii politici. A.1992 publicavit fabulam romanicam, c.t. "*Fatherland*", qui factus est liber ubique terrarum plurimum divenditus.

---

<sup>4</sup> orig. ethnical cleansing.

<sup>5</sup> orig. jemand, der Völkermord glorifiziert

**Die Welt:** Si operis tomum, c.t. est „Dictator“, rectê lègi, in hòc tomo trilogiae finali Cicero nobis describitur vir melior quam in tomis prioribus. Certê idem adhuc iudicat dubiè nec certo scit, in bello civili oriente cui parti sibi favendum sit. At vitâ suâ exeunte Cicero scribit multa ex sui operibus philosophicis moralibusque, et maiorem vim attribuit rationi vitae suaे beatitudinis, quae non fit nisi bonis moralibus.

**Harris:** Hoc verum est, sed praesertim cum Cicero vitâ suâ exeunte mutatus sit, quod factum est contra exspectationem. In fabulis romanis popularibus saepe narratur quomodo homo aliqui mutatus sit, quamquam hoc reverâ raro fit – homo plerumque vitâ procedente manet idem. At Cicero est homo alias. Is reverâ mutatus est, is annis prioribus petivit artem oratoriam, deinde potestatem, denique tentamina audaciae maioris. Qui a cursu honorum aversus se dedicavit philosophiae et conatus est vitam suam redigere ad normam moralem. Cicero more heroico tam vehementer luctatur, ut nobis permagno spatio temporis ab illo seiunctis moveat admirationem necnon ille ipse audeat adversari Marco Antonio et Octaviano, quod viginti annis ante numquam ausus esset.

**Die Welt:** Miror, quam similia eius principia sint christianis, quae spectant ad virtutem, ad bonum morale, quamvis vita Ciceronis ipsius non semper congruerit cum praeceptis eius moralibus. Sententiae, quales sunt "Oportet anima habeatur pro quinto elementorum nostri", „Anima habet vitam divinam“ aut „Vita ingenuè sacrificata est immortalis“, Ciceronis recursus ad conscientiam – haec omnia leguntur, quasi iisdem praeparata sit fides christiana, quae postea apparuit in scaenâ historiae mundanae. Reverâ ecclesia mediaevalis Ciceronem descriptis «paganum honestum».

**Harris:** Cicero in "Consolatione"<sup>6</sup> suâ studet homines a metu mortis liberare, quamquam nescit evangelium christianum, vitâ bene actâ et „morte bonâ“ nixus, qualem in fine passus est interfectus. Et hoc factum est aetate Caesaris, qua omnia destinata sunt potestate atque exercitibus.

**Die Welt:** Saeculo duodevicesimo Alexander Pope postulavit rem, cui homo studeret investigandae propriam esse hominem ipsum. Estne haec ratio causae, cur Cicero perpetuo lectoribus placeat tamquam exemplum „condicionis humanae“?


**Harris:** In hodierno quoque mundo nostro multa insunt quae possunt derivari ex illis, quae saeculo decimo quarto inventa sunt in commercio epistularum, quod Cicero habuerat cum Attico amico suo: homo privatus indole suâ propriâ praeditus, cottidianis necessitatibus implicatus. Haec inventio facta est renascentiâ ineunte, ante aetatem Michaelis Montaigne. Deinde saeculi undevicesimi annis vicenariis in bibliothecis vaticanicis inventum est Ciceronis opus, quod inscribitur "De re publicâ", et ecce quantâ cum ironiâ fortunae: Huic operi inscripta erant nonnulla de potestate inter monarchiam et nobiles et populi vicarios distribuendâ, et hoc ipsissimum illâ aetate aliquatenus iam infuit constitutioni Angliae.

**Die Welt:** Qualis homo Cicero voluit nomen suum perpetuare – utrum vir politicus an orator an auctor litterarum an philosophus?

---

<sup>6</sup> [https://en.wikipedia.org/wiki/Consolatio\\_%28Cicero%29](https://en.wikipedia.org/wiki/Consolatio_%28Cicero%29)

**Harris:** Sic dicam: Voluit fore, ut homines se recordarentur hominem, qui „bene mortuus esset“. Evidem miror in eo viro, quod non omnia passus est inconsideratê. Interdum animus eius refractus est, illo tempore, quo a Marco Antonio atque Octaviano fataliter proscriptus est. At deinde animum suum obduravit contra fatum inevitabile. In hac re Cicero est admiratione dignior quam aliqui brutâ cum aequitate animo audax. Cicero est animal verê humanum, quod diem de die vitam degit dolorosam; in epistulis suis curabat, ne appareret anima candida omnis vitii expers. In hac re Cicero cogitat ratione valdê modernâ.




Ecce »Dictatoris« editio Britannica

**Die Welt:** At certê etiam delectatus es sermone epistularum Ciceronis colloquii simili, cui insunt sales et facetiae, quales nos hodie exspectamus inesse colloquiis hominum inter se familiarium.

**Harris:** Hic est modus scribendi, quo trans flumen saeculorum tamquam ponte cum Cicerone coniungimur. Ad hunc modum spectat etiam sermo eius intectus, confessio animi ambitiosi non fucata, omnino non simulata. Aetate Ciceronis nullae erant sententiae politicae artificiosê tornatae, nullus sermo fucatus, neque ulla timoris atque desperationis dissimulatio. Ultimis in epistulis Attico scriptis Cicero appetet vir r̄gi illi Lear Shakespeariano similis, qui in ericeto capillos vellicans fortunam suam exsecratur. Eius filia est mortua, ipse memorâ retractat, quid sui relicturn sit, per

silvam ambulat lacrimans et conatur miseriam suam sustinere – ecce humanae indolis patefactio perquam potens atque moderna.



**Altera editio »Dictatoris« Britannica.**


**Die Welt:** Tiro, Ciceronis famulus fidelis, compluries loquitur de molendino immisericordi eventuum inevitabilium, quibus homo corripiatur. Nonne tu quoque sentis hac imagine describi politicam aporianam nostram modernam?

**Harris:** Cicero mente fingebat virum politicum personam gerere nauarchi navem per mare procellosum gubernantis, aut medici aegrotum sanaturi. Sic intellegebat res inevitabiliter factas valere ad hominem rei publicae deditum.

**Die Welt:** Tales res hodie etiam plus valent inexpectatae – velut Civitas Islamica, crisis Ucrainiana, flumina profugorum.

**Harris:** Homines politici hodierni mihi videntur minus sagaces et constantes esse, quam ut magnas temporis difficultates maturè accipiant et pertractent, exempli gratiâ fugam hominum, quae videtur subito coepisse, sed reverâ multo prius debuerat cognosci. Europa in discrimen adducta est duplex: imminet ingens aes alienum, urgent profugi ad limites stantes. Nunc denuo ad verum adducitur lex effectuum, qui non erant exoptati. Moneta communis non est id quod ut esset erat exoptatum: vinculum stabilitatis commune. Verisimile est Europam eurone magis divisam esse

quam umquam antea fuisset. At Europa, quae dicebatur „illimitata“, recedit post limites novos, sine quibus videtur non pati condicionem, quae valet in praesenti. At navis eget nauarcho.



**Ecce »Dictatoris« versio theodisca, quam fecit Wolfgang Müller.**

**Die Welt:** Hoc est facilius dictu quam factu, si in mentem nobis incidunt problemata, quae urgent in terrâ, velut in Syriâ. Mihi mundi condicionem consideranti potius in mentem incidit finis Rei Publicae Romani inevitabilis.

**Harris:** Itaque commendo, ut regiones Orientis Propinquioris minus fiant „aptae ad democratiam“ quam ad pacem, commodo societatum ibi incolentium proprio, quodammodo ad „Pacem Romanam“. Hôc quidem sensu nobis permanet officium interveniendi.

**Die Welt:** Intervenire? Nulla notio politica hodie hac est difficilior, nulla remotior est a consensu.

**Harris:** Hoc mutabitur, cum primum crisis profugorum tanta erit, ut interventio quoquomodo sit inevitabilis.

**Die Welt:** Denique ex te quaero: Quale opus sequetur trilogiam Ciceronianam? Paene non ausim hoc ex te quaerere.

**Harris:** Licet quaeras. Iam mihi est quaedam idea, sed eam tibi non prodam.

<http://www.welt.de/kultur/literarischeswelt/article147512758/Caesar-war-in-Wirklichkeit-ein-Menschenbeschaechter.html>

**COLLOQUIUM INTERROGATORIUM**

**A THOMA KIELINGER CUM ROBERTO HARRIS**

**AUCTORE TRILOGIAE CICERONIANAE**

**LONDINIO IN URBE HABITUM**

**IN EPHEMERIDE, C.T. “DIE WELT”**

**D. 12. M.OCT. A.2015 PUBLICATUM**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**NICOLAUS GROSS**



**<http://www.leolatinus.com/>**

**LEO LATINUS**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipue disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |                                                                   |         |
|-------------------------------------------------------------------|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,90 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,90 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

# TRILOGIA CICERONIANA

QUAM SCRIPSIT  
ROBERTUS HARRIS

IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS

## TOMUS PRIMUS: IMPERIUM

Pars prima: SENATOR (79-70 a.Chr.n.)

### CAPITULUM I

**TIRO** vocor. Per triginta sex annos fui secretarius privatus Ciceronis Romani viri rei publicae dediti. Quo munere primo sum excitatus, deinde stupefactus, tum fatigatus, denique in summum periculum adductus. Puto Ciceronem his annis plus temporis mecum degisse quam cum ullo alio homine, familiaribus inclusis. Intereram conventibus privatis, perferebam nuntios secretos. Orationes Ciceronis litteris mandabam, epistulas et opera eius et ipsa carmina scribebam. Ut flumini eius verborum par fierem cohibendo, invenienda mihi erat notarum ars, qua adhuc consilia senatū memoriae mandantur et quarum inventarum gratiā nuper mihi concessa est modica pensio publica. Hac pecuniā nonnullisque herediis amicorumque benevolentium donis fit, ut in sumptum satis habeam. Haud multis autem egeo. Senes enim vivunt pauxillulo egoque sum iam multum senex – dicor esse ferē centenarius.

Decenniis post Ciceronis mortem ab hominibus plerumque susurrantibus iterum iterumque interrogabar, qualis ille fuisset reverā. At ego semper tacui. Unde scirem, quis esset gubernantium delator, quis non? Omni momento temporis exspectabam me suppicio capitis affectum iri. Cum autem nunc vitā meā paene transactā nihil mihi restet timendum – ne tormentum quidem, quod manibus carnificis eorumve ministrorum impositus vix per punctum temporis perferrem - in animum induxi, ut illis responderem hac relatione scribendā. Nitar autem memoriā necnon documentis mihi mandatis. Cum restet mihi breve tantum spatiū temporis, properabo. Relationem meam scribam notis meis, in aliquot

decuriis papyri subtilissimae, - ipsius Hieraticae, quae est omnium optima – quas in hunc finem iam diutius recondebam. In antecessum rogo, ut venia sit verbis parum aptis parumque convenientibus. Necnon Deos precor, ut relationem finiendam mihi permittant ante finem meum. Cicero quidem cum ultimis verbis suis me rogaverit, ut de se referrem vera, veris ipsis studebo referendis. Eundem autem virum relatione haud semper videri exemplum virtutis, haud mirum est: Potestatem enim si qui vir adeptus est, idem sanè accipiat nonnulla commoda, sed eius manūs raro remanent purae.

De potestate autem deque illo viro narrabo. Potestatem dico potestatem officialem, politicam – id quod nos sermone Latino appellamus *imperium* -, potestatem vitae mortisque, qualis a re publicā mandatur singulo homini. Aliquot centum viri hanc potestatem petiverunt. At Cicero in historiā liberae rei publicae Romanae fuit vir eo singularis, quod is potestatis petitor nihil promptum habuit nisi ingenium suum proprium. Qui non, ut Metellus et Hortensius, erat oriundus ex aliquā gentium nobilium ex generationibus in re publicā agentium, cuius auctoritate die suffragiorum ūti posset. Qui non est, ut Pompeius aut Caesar, adiutus exercitu potenti, quo fovebatur munus suum candidatorum. Qui non, ut Crassus, possedit ingentes divitias, quibus via sibi aequaretur. Cicero nullam rem habuit nisi unam – vocem suam. Et nullā vi nisi voluntate sua eandem fecit totius orbis terrarum illustrissimam.



Eram viginti quattuor annos natus, cum ego servus domesticus in sede familiari prope Arpinum natus, qui Romam numquam videram, inīi munus Ciceronis personale. Idem erat iuvenis patronus, qui inquietudine fatigabatur permultisque vexabatur aliis corporis vitiis. Vix quisquam creditit nobis esse aliquam spem rerum secundarum.

Illo tempore vox Ciceronis nondum fuit illud instrumentum timorem iniciens, quod postea facta est. Quae fuit aspera, et Cicero solebat linguā haesitare. Puto difficultatem eius in eo fuisse, quod multitudo verborum in capite aestuans si nervis intentis in collo accumulabatur, quasi duae oves ab agmine urgente promotae eodem tempore per clatros collisae transirent. Quidcumque causae erat, argumentum orationum, quas habebat, in maiorem magnificentiam erat compositum, quam ut auditores intellegerent. Ab auditoribus parum attentis vocabatur »Doctus« aut »Graecus« – quae nomina nequaquam erant laudativa. Quamquam nemo eius ingenium rhetoricum addubitaret, eius valetudo corporis erat infirmior, quam ut par esset animo eius ambitioso. Defensionibus per complures horas - omni anni tempore, saepe sub dio

habitis – eius chordae vocales tam vehementer affligebantur, ut idem haud raro per dies faucibus esset raucis necnon voce deficeret. Accedit, quod Cicero laborabat ex insomniâ et concoctione deteriore. Ut dicam brevius: Idem, si, quod cupiebat ardentissimè, voluit cursum facere honorum, necesse erat, ut adiuvaretur a viro perito. Itaque Cicero statuit, ut Romam in aliquantum temporis relinquenter et iter faceret. Primo, ut vires suas reficeret, et secundo, ut praceptorum consuleret artis oratoriae omnium optimos, quorum plerique vivebant in Graeciâ Asiâque minore.

Ego autem, cum mandata mihi esset parva bibliotheca Ciceronis maioris, quadamtenus callebam sermonem Graecum, ideoque Cicero rogavit patrem suum – ipso eodem modo, quo librum e pluteo sumebat – num sibi liceat me commodare et in regionem orientalem secum abducere. Cum cetera tum id mihi pensum fore, ut curarem eius dies statuendos, ut vehicula conducerem, ut magistris mercedem solverem, sed praestitutum erat, ut anno transacto redirem ad dominum priorem. At in fine, ut de nonnullo quoque libro utili fit, numquam sum redditus.

Die, quo eramus in altum profecturi, portum advénimus Brundisinum. Quod factum est anno DCLXXV a. u. c., Servilio Vatiâ et Claudio Pulchro consulibus. Illo tempore Cicero nondum fuit hic vir conspicuus postea factus, cuius lineamenta oris melius nôta erant, quam ut ambularet per viam vel quietissimam incognitus. (Quidnam, quaero, factum est de milibus imaginum eius fictarum, quibus olim tot domûs privatae totque aedificia publica erant exornata? Suntne reverâ *omnia* destructa et combusta?) Iuvenis, qui illo mâne vernali stetit in crepidine, erat gracilis, dorso rotundo, collo praeter naturam longo, cui inerat nodus gutturis, pugni infantilis magnitudine, sursum deorsum saliens. Eius cutis erat pallida, oculi prominentes, mâlae macilentae; ut brevius dicam, Cicero erat simulacrum viri aegri atque infirmi. Recordor adhuc me cogitasse: *Age, Tiro, hōc itinere fruere, quantum poteris, nam non fiet per tempus longius.*

Primo vecti sumus Athenas, ubi Cicero eo voluit delectari, quod in Academiâ studeret philosophiae cognoscendae. Cum primum omnium ei peram apportaveram in auditorium, Cicero me abiturum revocavit et quaesivit, quemnam locum peterem.

»Umbram, cui insunt ceteri servi«, respondi. »Nisi adhuc eges operâ meâ«.

»Qua« inquit »egeo potissimum«. »Pensum tibi dabo perquam laboriosum. Volo hîc maneas et aliquantum philosophiae discas. Si hoc

feceris, inter itinera nostra diurna erit aliquis apud me, quocum colloquar«.

Ergo remansi eoque honore affectus sum, ut audirem ipsum Antiochum Ascalonium tria principia explicantem philosophiae stoicae – nullâ re nisi virtute hominem assequi posse beatitudinem, nihil nisi virtutem esse bonum, confidendum non esse animi affectibus. Tria praecepta simplicia, quae si homo sequeretur, pleraque problemata mundi sciret solvere. Postea Cicero egoque saepe disputavimus de talibus quaestionibus, et cogitationibus nostris traditi semper oblîti sumus differentias condicionum nostrarum. Per sex menses apud Antiochum morati iter perrexi, ut verteremur ad itineris finem proprium.

Ratio oratoria illius aetatis valentissima vocabatur »asiana«. Hoc fuit genus dicendi artificiosum et floridum, plenum pompa versuumque sonorum, quod ab oratore celebrabatur huc illuc incedente, vehementerque gesticulante. Princeps omnium, qui Romae hac ratione oratoriâ utebantur, fuit Quintus Hortensius Hortulus, qui generaliter habebatur pro oratore suae aetatis praestantissimo pedibusque ingeniosê movendis accepit supernomen saltatoris. Ut intellegeret Hortensii methodum, Cicero id maximê curavit, ut peteret omnes illius magistros: Menippum Stratoniceum, Dionysium Magnetem, Aeschylum Cnidium, Xenoclem Adramyttenum – sôlis nominibus quadamtenus suspiceris, qua elocutione usi sint. Cum omni eorum Cicero degit nonnullas septimanas. Qui oratorum rationibus tam diu studebat cognoscendis, usque dum putaret se illas intellexisse.

Quodam vespere holera lentê cocta peragitans, quae omni die comedebat: »Tiro«, inquit, »taedet me istorum trossulorum. Cura naviculam afferendam, qua Loryma navigabimus Rhodum. Conabimur aliquid aliud, in album referemus Apollonii Molonis«. ....

**TRILOGIAE CICERONIANAE  
A ROBERTO HARRIS CONSCRIPTAE  
NONNULLAS PAGINAS PRIORES  
IN LATINUM CONVERTIT  
NICOLAUS GROSS**



**<http://www.leolatinus.com/>**

**LEO LATINUS**



# ***Recitator***

Fabula romanica

quam theodiscē scripsit  
**Bernhard Schlink**

in Latinum convertit  
**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoriâ, quae appellatur  
**LEO LATINUS**

Senden in oppido Bavariæ Suebicæ  
a. 2012

Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45,90 € (quadraginta quinque euronibus nonaginta centiis) et directē per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS:  
[\*\*SPQR@LEOLATINUS.COM\*\*](mailto:SPQR@LEOLATINUS.COM)

Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !

## ECHŪS VOCES

**Die 14. m.Mart. a.2016 h.09:26 scripsit**

**Günter Elo:** (*e theodisco in Latinum convertit LL*)

Domine Groß maximē honorabilis, textūs tuos in Latinum conversos saepe cum voluptate lego necnon gratias tibi ago pro labore a te exanclato. At si citas verba Latina, oportet scribas, apud quem editorem eadem inveneris. E.g. pro verbis Ovidianis a te allatis (EL 96, p.3: OV.met.XI, 529) in editione Erici Rösch lego haec: <<sic ubi pulsarunt n o v i e n s latera ardua fluctus>> (Ed. Erich Rösch, Heimeran Verlag, München 1961) Cura ut valeas ...

**Günter Elo.**

Die 14. m.Mart. a.2016 h.20:17 respondit LL:

Care Domine Elo, multas gratias tibi ago pro re allatā. Locus Ovidianus a me citatus, qui est hic qui sequitur: OV.met.XI,529 Sic, ubi pulsarunt **acres** latera ardua fluctus invenitur in editionibus vetustioribus, quae factae sunt saeculis duodevicesimo et undevicesimo. Doleo me non promptam habere editionem criticam (etiam Ericus Rösch nihil adnotat criticum) neque ideo invenire, utrum verbum "noviens" sit coniectura an lectio altera. Hic locus dignus est, qui criticē tractetur. Si tu eudem tractaveris, symbolam tuam criticam libenter publicabo in EPISTULA LEONINA. Scilicet textuales disquisitiones criticas optimē convenire cum moribus philologorum traditis. Medullitus te salutat **Dr. Nicolaus Groß LEO LATINUS.**

Domine Groß maximē honorabilis, usque nunc nihil habeo quid dicam nisi me dolere, quod non possideo Metamorphoseon editionem criticam. At etiam in editione Latino-Francogallicā cuiusdam viri nomine *J. Chamonard, Ovide, Les Metamorphoses, Classiques Garnier, a.1956*, legitur "noviens". Necnon in situ interretiali, q.d. [www.thelatinlibrary.com](http://www.thelatinlibrary.com) hōc loco legitur "noviens". At hanc rem quam maturrimē investigabo. Medullitus te salutat ... **G. Elo**

**d.19. m.Mart., h.10.02. Günter Elo scripsit haec:**

Bonum mâne, Domine Dr. Groß, inter res a quodam viro vicino nuper aetate 94 annorum mortuo relictas, qui post bellum, captivitatem, studium universitarium per multos annos in Instituti Francisci Iosephi Dölger RAC laboraverat et deinde per 20 annos theologos evangelicos futuros Universitatis Bonnensis instituerat linguā Graecā, Latinā, Hebraicā, invēni duos textūs Metamorphoseon Ovidii: Editio A est parvo apparatu critico instructa, in quo <M> est "codex Marcianus 225 saec. XI." et <N> est "codex Neapolitanus" etc. Editio B non est critica, sed continet explicationes, quae quoad locum „nostrum“ mihi videntur esse persuadibiles. In appendice invenies haec. Litterae autem aliquatenus sunt parvae. Spero te scire, quomodo hae possint fieri maiores.

A: P.Ovidius Naso, Vol. II., Metamorphoses, ex iteratā R. MERKELII(!) recognitione edidit RUDOLPHUS EHWALD, editio maior, commentarius criticus ex HUGONIS MAGNI\* apparatu maximam partem transumptus est, Gotha 1915 (Num hic est HUGO GROTIUS (de Groot)?). - B: cfr frontispicium tomī primi et p.178 tomī secundi extracta. Medullitus te salutat. **G. Elo**

**Nicolaus Guntero s.**

Gratias ineffabiles pro locis sagaciter inventis! *Hugo Magnus* non est ille Batavus illustris, sed philologus Germanus: *Hugo Paul Ernst Magnus (1851-1924): Die Metamorphosen des P. Ovidius Naso, für den Schulgebrauch erklärt.* 2 Bände, Gotha 1885–1886. 2. Auflage 1892. Secundum copiam, quam mihi benevolē misisti, *Ehwald* in editionis sua (Gotha 1915) apparatu critico indicat haec:

**529 noviens Me. noueni in ras. m<sup>3</sup>N celsi N in ras. m<sup>3</sup>M caeci Heins. caelum et Bothe.**

Secundum has notas in codice Neapolitano (N) et in rasurâ manûs tertiae codicis Marciani (M) legitur “**celsi**”; in rasurâ manûs tertiae codicis Neapolitani legitur “**noueni**” (quod a metro discrepat).

Cetera verba sunt conjecturae philologorum, quae non inveniuntur in codicibus: **noviens** coniecit Merkel; **caeci** coniecit Heinsius, **caelum et** coniecit Bothe.

Ergo editores recentiores comprobant conjecturam Merkelianam. *P. Ovidius Naso. Ex recognitione Rudolphi Merkeli*. 3 Bände, Leipzig 1850–1851. Zahlreiche Nachdrucke. Zweite, überarbeitete Auflage 1873–1875, Band 2 (1850) *Metamorphoses*. Nachdruck 1863. Nachdruck 1870. Doleo quod Ehwald in editione suâ non affert verbum **acres**, quod ego inveni in editionibus vetustioribus.

Merkeliana conjectura est sagaciter facta, sed non extra quaestionem! Etiam Heinsiana mihi videtur esse haud improbabilis. Haec quaestio est etiam perscrutanda ratione semanticâ, alii loci Ovidiani sunt cum hôc comparandi. In praesenti nescio rem diiudicare.

Ceterum mihi attulisti locum editionis Hauptianae, quo explicatur unda illa decima Ovidiana: Moriz Haupt (ed.): Die Metamorphosen des P. Ovidius Naso erklärt von Moriz Haupt, Berlin 1915, S.78, ad OV.met.XI 529: „*Die je zehnte Welle, der fluctus decumanus, war nach römischem Glauben die stärkste und gefährlichste (vgl. Paulus Fest. p.71 M.: decumana ova dicuntur et decumani fluctus, quia sunt magna. Nam et ovum decimum maius nascitur et fluctus decimus fieri maximus dicitur). vgl. Tristia 1,2,49f. qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnis: posterior nono undecimoque prior.*”

Summas gratias pro materiis criticis benignê missis! Pancratice vale, care Guntere, et perge mihi favere. Medullitus te salutat LEO LATINUS.

### Die 16. m.Mart. a.2016

**Prof.Dr.Dr. Ralf Uwe Peter medicus dermatologus et nosocomii clinici director**

(*e theodisco in Latinum convertit LL*)

Care Domine Groß, ante nonnullos annos per Elenam filiam meam, quae a te linguâ Latinâ instituta est, „Fragrantiam“ versionem tuam Latinam fabulae romanicae a Patricio Süßkind compositae, quae inscribitur „Das Parfum“ emptam cum voluptate lègi, quamquam confiteor me nonnulla praecipue eo intellexisse, quod novissem textum theodiscum. Liceat te remunerer politicâ fabulâ criminali, cui subest argumentum satiricum, a me ipso mutato nomine ante annum ferè conscriptâ et nunc editâ, huic epistulae subiunctâ. Excusa, quaeso, quod verba alata (originaliter Latina) in textu reddidi theodiscê, cum – quod doleo – hodie non iam licet exspectare lectorem intellegere textum originalem. Sit tibi festum Paschale benedictum.

Tuus Randulfus (Ralf) Peter.

### Die 30. m.Ian. a.2016 h.07:54 scripsit

**Ulrich Krauße interpres et editor librorum:**

Udalricus Krauße Leolatino salutem plurimam dicit.

Hanc epistulam tibi mitto ut Gaius Licoppe proposuit. In additamento invenies exempla librorum, quae post totius anni præparationem êdere volo. Sed, ut legis, pecunia mihi deest. Itaque etiam te rogare velim, nonne propositum ad eam rem habeas. Medullitus salutat Udalricus Krauße.

Die 28/01/2016 11:12, Ulrich, <[ulrich.krausse@t-online.de](mailto:ulrich.krausse@t-online.de)> scripsit:

Ulrich Krauße doctori Gaio Licoppe salutem plurimam dicit.

Hodie multi libri Latini non sunt, qui tirones Linguae Latinae incitant et eis institutionem scholarum tolerabiliorem faciunt. Per multos annos institutionem subsidiariam docens hos libros moventes saepe desideravi. Itaque prioribus annis nonnullos libros adulescentium

converti et edidi. Vide hic: [www.munduslatinus.de](http://www.munduslatinus.de) <<http://www.munduslatinus.de>> <<http://www.munduslatinus.de>>

Nunc iterum duo libri ad edendum praeparati sunt: Armin Maiwald, paeclarus fabricator emissionum puerilium pro televisione Germanicâ permissionem convertendi emissionum suarum in Linguam Latinam et êdendi earum in libros multis picturis illustratos mihi dedit. Praeparationes magis quam totum annum durabant sed nunc pecunia mihi deest. In additamento vides exempla horum librorum. Habesne propositum quomodo hi libri êdi possunt? Fortasse in collaboratione cum Melissâ? Compositio vocabulorum certê mutari potest. Consilium bonum vero auxilium magnum esset. Medullitus salutat Ulrich Krauße.

d.29. m.Ian. a.2016.

**Gaius Licoppe Udalrico Krauße s.p.d.**

Epistulam tuam et subiuncta documenta attentê inspexi. Valdê laudandus es, quod conaris linguae Latinae institutionem in scholis facere iucundorem; manet enim taediosa, quamquam iam ante 60 annos in Conventu Avennionensi propositum est ut modo vividiore doceretur. Video libros tuos speciatim ad discipulos Germanos spectare; quare tibi suadeo ut imprimis Nicolaum Groß adeas, qui multas editiones Latinas iam fecit; haec est eius inscriptio electronica: [SPQR@leolatinus.com](mailto:SPQR@leolatinus.com) Si negaverit, redi ad nos et unâ videbimus quid facere possimus. Cura ut valeas. --- Guy Licoppe Melissa, sodalitas perenni Latinitati dicata, Rue des Aveugles, 14 A, B-4210 Marneffe. <http://www.fundatiomelissa.org>

Am 28.02.2016 um 22:16 schrieb SPQR:

Leo Latinus Udalrico Krauße sal.pl.dic.

Care Udalrice, ignosce, quod sero tibi respondeo. Magnâ turbâ epistoliorum reiculorum (*spammail*) acceptâ primo obtutu videor epistolium tuum non conspexisse. Habeas me excusatum. Profecto scribis de materiis haud minoris momenti, multa habes argumenta iucunda ad discipulos docendos haud inepta. Tamen insunt scriptis tuis quaedam stribiliges parum decorae. Toto opere tuo emendando nimium gravarer; sed libenter paratus sum quosdam textûs tui publicare in Epistulis Leoninis.

Haec habui, quae raptim tibi dicerem in praesenti; mox fortasse plura. Pancraticê vale, mi care Udalrice, mihique favere perge. Medullitus te salutat LEO LATINUS.

**Udalricus Krauße Latino s.p.d.**

Care domine Groß, te valdê occupatum esse ex epistulis Leoninis video, at tamen iterum de duobus libris scribere velim. Ante tres annos fundamentum oeconomicum domûs editoriae meae divortio inimico deletum est. Ultimum inceptum erat series librorum cum titulo "Arminius narrat ..." Hoc inceptum animos amicorum inflammavit, qui multum temporis laborisque me adiuvandi causâ gratis impendebant. Denique Arminium Maiwald movere potui hanc magnam licentiam mihi praebere, quae omnes textûs imaginesque eius emissionum televisificarum amplectitur.

Praeterea licentiam illarum imaginum, quae non ab Armino Maiwald obtinentur, a possessoribus gratis accepi, quia etiam hi homines non sôlum libros "Arminius narrat..." laudant, sed etiam liberos proprios adiuvare volunt. Sumptûs fabricationis hereditate solvere volebam, sed interea putamus progressum hereditatis nonnullos annos propter magnum numerum heredum duraturum esse et finis incertus est. Amicos meos et alios adiutores non longius frustrare volo. Praeterea condicio mea exspectando non emendatur. Libros vidisti atque totum mundum Latinum cognoscis. Fortasse adest una facultas hos libros ita corrigendi, ut non propter stribiliges deridear. Fortasse etiam homo vel institutio adest, qui/ quae saltem sumptûs fabricationis editionis perparvos solvat (pecuniam mutuam datam). Tum textûs in Epistulis Leoninis publicare certê magnum auxilium et magnum gaudium esset. Spero te bona consilia habere, ne opera et oleum perdita sint. Medullitus te salutat Udalricus Krauße

**Nicolaus Groß Udalrico Krauße sal.pl.dic.**

Care Udalrice, de gravioribus incommodis domesticis Leonem Latinum fecisti certiorem. Miseret me tui, qui his tribus annis duplicum passus sis calamitatem domesticam. Quid faciam, ut te adiuvem? Ad novum librum êdendum, ut verum confitear, non habeo, quod tibi mutuum dem. Domus Leonis Latini potius est virtualis quam realis. Librorum mei ipsius êdere soleo copias perparvulas, emptores sunt rari (in ephemeride aliquando lêgi te illius libri Latini de feris gallinis scripti edidisse exemplorum novem milia – talis numerus est omnino alienus a Leonis Latini capacitatem atque consuetudine). In rebus editoriis certê Gaius Licoppe fautor Latinitatis vivae per multa iam decennia optimê meritus te melius adiuvare poterit. Qui – ut in eius epistolio lêgi a te mihi misso – incepto tuo aliquatenus favere – aut saltim tibi de eodem non omnino abnuisse videtur.

Equidem paratus sum ea scripta tui, quae mihi nuper misisti, a stribiliginibus liberare et in Epistulâ Leoninâ publicare. Doleo, quod tibi plura praebere non possum et spero responso meo animum tuum potius exhilaratum quam contristatum iri. Vale pancratice, mi care Udalrice, et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus.

**Pro omnibus epistulis epistoliisve benignê sibi scriptis  
gratias vobis agit magnas, maximas, multas, plurimas,  
ineffabiles, infinitas<sup>\*</sup> LEO LATINUS. Talia enim scripta sunt  
documenta atque cimelia Latinitatis vivae singularia  
semperque gratissima.**

**NICOLAUS GROSS**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

---

\* Bene recordor **Patrem Caelestem** (i.e. Iosephum Antonium Eichenseer, \*1.m.Iul. a.1924, +4.m.Febr. a.2008), Latinitatis Vivae renovatorem et propugnatorem optimê meritum, magistrum meum Latinê loquendi atque scribendi, valdê amavisse talem abundantiam verborum ad gratias agendas spectantium.

DE RAPTORE  
HOTREN PLOTRI

Fabula Casparuli

quam theodiscê narravit

**Otfried Preußler**

in Latinum convertit

**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoria, quae appellatur

LEO LATINUS

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae compleiae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: [SPQR@LEOLATINUS.COM](mailto:SPQR@LEOLATINUS.COM)

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
NONAGESIMAM SEPTIMAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**die Saturni, 19. m.Mart. a.2016**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.de/>**